



# DEFENSIO

juris Abbatiae Episcopalis S<sup>ti</sup> Mauricii

IN HELVETIA

IN EPISCOPATUM DE BETHLEEM  
PERPETUO POSSIDENDUM

A

CANONICO PETRO BOURBAN

VICARIO CAPITULARI



ST-MAURICE

Imp. de l'Œuvre St-Augustin

1909

PA  
8626



A 57/2 24

# DEFENSIO

**juris Abbatiae Episcopalis S<sup>ti</sup> Mauriti**

IN HELVETIA

IN EPISCOPATUM DE BETHLEEM

PERPETUO POSSIDENDUM

A

CANONICO PETRO BOURBAN

VICARIO CAPITULARI

R274429160



ST-MAURICE

**Imp. de l'Œuvre St-Augustin**

1909

PA 8626

Bibl. cant. VS Kantonsbibl.



1010350602

# SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS



Romæ, 26 Aprilis 1909.

Rme Domine uti fr.

Amplitudini Tuæ mitto adnexam instantiam Episcopi Niver-  
nensis, ut super eandem audire non dedignetur tum Abbatem,  
qui dicitur electus, S. Mauriti Agaunensis, tum capitulum abba-  
tiale, eisque præfigat unius mensis spatium ad jura sua deducenda.  
Interim tamen de mandato SSmi nihil innovetur.

Hæc dum præstolor omnia fausta Tibi a Dno adprecor  
meque impenso animi studio profiteor.

Amplitudinis Tuæ Remæ  
uti fr.

C. Card. DE LAI SECRET.

Rmo Dno  
EPISCOPO SEDUNENSI.



58 1311

## CURIA EPISCOPALIS SEDUNENSIS



### **Instantia Episcopi Nivernensis per Episcopum Sedunensem die 3 maii Abbatiae Sti Maurittii notificata.**

Mgr Gauthey, évêque de Nevers, réclame pour lui et ses successeurs, le titre d'évêque de Bethléem. Cette réclamation se justifie par l'histoire du diocèse de Bethléem.

#### **Bethléem en Palestine.**

Baudoin I fut couronné roi de Jérusalem en 1101. En souvenir de cet événement glorieux, il sollicita et obtint du Pape Pascal II, en 1110, que la ville de Bethléem fut érigée en évêché.

#### **Bethléem en Nivernais.**

Les Evêques de Bethléem ne restèrent en Palestine que pendant un siècle environ. Chassés de Terre Sainte avec les Latins, ils se retirèrent à Clamecy, en Nivernais, grâce à la libéralité de Guillaume IV, comte de Nevers. Ce seigneur qui était parti avec Louis-le-Jeune pour la Palestine, ayant été atteint de la peste à Ptolémaïs, demanda à être enterré à Bethléem et légua, par testament, aux évêques de cette ville, l'Hôtel-Dieu de Panthénor situé à Clamecy, dans le Nivernais, avec les biens qui en dépendaient, afin que les Evêques de Bethléem pussent s'y établir, s'ils étaient un jour chassés de leur siège par les infidèles.

Les prévisions de Guillaume IV se réalisèrent et l'Evêché de Bethléem fut transféré de Palestine en Nivernais. Les Evêques de Bethléem s'y succédèrent sans interruption au nombre de quarante-neuf, depuis les premières années du XIII<sup>e</sup> siècle jusqu'au Concordat de 1801, époque où le diocèse de Bethléem en Nivernais fut supprimé, ainsi que celui de Nevers lui-même.

Le diocèse de Nevers fut rétabli en 1823 avec une circonscription qui enclavait dans ses limites le petit diocèse de Bethléem ; mais si le territoire de l'Evêché disparu fut attribué aux Evêques de Nevers, ils n'en reçurent pas le titre. Il fut donné en 1840, par Lettres Apostoliques de Grégoire XVI, à l'Abbé du Monastère de St-Maurice d'Agaune, en Valais, et à ses successeurs.

Le dernier titulaire, Mgr Paccolat, vient de mourir. Ne serait-il pas possible de donner une compensation aux Abbés de St-Maurice et d'accorder le titre de Bethléem à l'Evêque qui a juridiction ordinaire sur tout le territoire qui a constitué pendant six siècles le territoire de Bethléem ?

La cathédrale de Bethléem, avec la sépulture de ses évêques, existe encore à Clamecy. Elle a été désaffectée pendant la Révolution française et convertie en hôtel.

Il appartiendrait à l'Evêque de Bethléem de travailler au rachat et à la restauration de sa cathédrale et d'arracher à la profanation les tombeaux de ses prédécesseurs. Mais un titulaire sans juridiction n'a aucune autorité pour accomplir cette mission. Elle deviendra possible le jour où l'Evêché de Bethléem sera rattaché par son titre, comme il l'est déjà par son territoire, à l'Evêché de Nevers.



**DEFENSIO**  
**juris Abbatiae Episcopalis Sancti Mauriti,**  
**in Helvetia, in Episcopatum de Bethleem**  
**perpetuo possidendum**



SANCTISSIMO PATRI GLORIOSE REGNANTI  
PIO PP. X

Ad pedes SANCTITATIS VESTRAE provolutus, contra petitionem RR. DD. GAUTHEY, Episcopi Nivernensis, quæ nititur fundamento omnino nullo, defensionem RR. DD. Josephi ABBET, Abbatis Episcopi de Bethleem, canonice electi, et juris Regalis Abbatiae S. Mauriti in Episcopatum de Bethleem, quod jus solemnè institutione in perpetuum valitura a Gregorio PP. XVI facta nititur, nomine Abbatis-Episcopi electi, nomine totius Capituli meique Petri BOURBAN, Vicarii Capitularis, affero.

|

*Petitio RR. DD. Gauthey nullo fundamento nititur et penitus rejicienda est, si probari potest Sedem Episcopalem de Bethleem non per sex sæcula sed ne per unum quidem diem fuisse in diocesi Nivernensi. Atqui, ut in brevi sequenti dissertatione historica videbimus, Sedes Episcopalis de Bethleem non per sex sæcula sed ne per unum quidem diem fuit in Diocesi Nivernensi. Ergo petitio RR. DD. Gauthey. Episcopi Nivernensis, nullo fundamento nititur et penitus rejicienda est.*

De Sede Episcopali Bethleemitanâ speciatim scripserunt Monachi Congregationis S. Mauri in *Gallia*

*Christiana*, tom. XII, anno 1770, pag. 686 et seqq.; Louis Chevalier Lagénissière, avocat : *Histoire de l'Evêché de Bethléem*, Paris, Dumoulin, 1872; et tandem Comes Riant : *Etudes sur l'Histoire de l'Eglise de Bethléem*. Hic autem eruditissimus in rebus orientalibus Belli Sacri, Fundator Societatis « de l'Orient latin », in hac historia prædecessores superavit non solum eruditione sed inventione documentorum numerosissimorum circa ecclesias et hospitia quæ Episcopatus de Bethlehem possidebat in 50 diocesisibus Italiae.

Sedes Episcopalis Bethleemitana erecta fuit tempore Belli Sacri. Balduinus (Bauduinus), rex Jerusalem Latinorum primus, suam accepit regalem consecrationem in loco Nativitatis Christi, in Basilica Nativitatis. Rex consecratus obtinuit, anno 1110, a Paschali PP. II ut hæc basilica, cui inserviebat Capitulum Canonicorum S. Augustini, sub Prioris regimine, Ecclesia Episcopalis fieret, eique Sedes Ascalonitana unita fuit. Aschetinus, cantor basilicæ Nativitatis fuit primus episcopus. Mox Episcopi Bethleemitani magnam partem obtinuerunt in Bellis Sacris. Diversæ provinciæ Europæ, et maxime Italia, quod ignoravit Lagenissière suo in opere ac proinde RR. Episc. Niv., qui hunc auctorem tantum consuluit, huic Sedi Bethleemitanæ dederunt ecclesias et hospitia. Una Italia huic Sedi circiter 76 ecclesias et 35 hospitia et dominia dederat (1). In Britania, Londini, Episcopi de Bethlehem habebant Capitulum Canonicorum S. Augustini, monasteria duo, unum virorum, alterum mulierum.

Ecclesiæ B. M. dicatæ accipiebant nomen Mariæ de Bethlehem. Res probatur ex Bulla Gregorii PP. IX : « In Constantinopoli ecclesiam Sancte Marie de Bethleem, quæ Ytria nuncupatur cum ecclesiis et omnibus pertinentiis suis (2) ».

(1) Comes Riant, op. cit., pag 56. — (2) Ibidem page 141.



Sed Episcopi Bethleemitani, ditissimi Occiduis partibus, debebant homines suppeditare Ducibus christianis ad Palæstinam defendendam (1). Et sic dicti Episcopi frequentia itinera suscipiebant in Europam.

Possessiones ecclesiarum, hospitalium, terrarumque ditissimæ Sedis Episcopalis Bethleemitanæ, maxime in Italia, enumeratæ sunt in Bulla Gregorii PP. IX, 1227, die 21 Augusti : *Sanctorum Patrum decernit*, et in Bulla Clementis PP. IV, anno 1266, die 11 Maii : *Sanctorum Patrum decrevit*. (2)

In secundo tantum documento invenimus hanc possessionem in Gallia sitam, circa quam hic tota quæstio vertitur :

**In diœcesi Antissiodorensi** (vulgo Auxerre) : *Ecclesiam Sancte Marie, de capite pontis Clemenciaci* (Clamecy).

Hoc notatu dignum est : Anno 1266, hæc ecclesia, quæ erat Capella publica, non erat sita, neque fuit postea, dum ædes sacra permansit, in diœcesi Nivernensi, sed semper fuit intra limites diœcesis Antissiodorensis. Et, ut probabo infra ex jure historico, tota ruit petitio RR. Episcopi Nivernensis.

Ex altera parte constat anno 1266 hanc ecclesiam nullo modo esse sedem episcopalem. Attamen temerarie affirmat RR. Episcopus Niv. ibi Episcopos de Bethleem sedisse ab anno 1224.

Tempore S. Ludovici et sequenti tempore, Episcopi Bethleemitani debellabant in Palestina, deferentes ante exercitum, ut signa, instrumenta Passionis Christi.

Dein per duo circiter sæcula, Episcopatus Bethleemitanus a Romanis Pontificibus concessus fuit Ordini S. Dominici. Sic dicit et ostendit comes Riant : « L'Orient latin paraît, à partir du milieu du XIII<sup>e</sup> siècle, avoir été considéré comme formant ce que

(1) Comes Riant, op. cit. — (2) Ibidem, page 140 et seqq.

« nous appelons aujourd'hui pays de mission, et pro-  
« bablement à la suite de la dispersion ou de l'appau-  
« vrissement des Chapitres, nous voyons le S. Siège  
« intervenir dans l'élection des évêques latins du  
« Levant, et y faire appeler de préférence des Frères  
« Prêcheurs ; pendant plus de deux siècles le siège de  
« Bethléem sera, à peu d'exceptions près, occupé par  
« des religieux Dominicains. »

Hujus seriei primus fuit Tomaso Agni, qui Prior Neapoli S. Thomam Aquinatem ad habitum receperat. Hi autem dominia in Europa administrabant per vicarios, et ipsi aut munere legati Romani Pontificis aut aliis magnis negotiis Religionis fungebantur.

Et ubi est coram his documentis vindicatio Nivernensis **Per sex sæcula** ?

Attamen, Episcopi Bethleemitani servabant, in comitatu Nivernensi sed *in diœcesi Antissiodorensi*, non autem Nivernensi sita, ecclesiam seu capellam, domum episcopalem et hospitale pro peregrinis ad Terram Sanctam, Sedi Bethleemitanæ a Gulielmo IV, comite Nivernensi, moriente in Palæstina, testamento concessa. Jurisdictionem super hæc tria loca exigui momenti disputabant cum Episcopis Antissiodorensibus, nunquam autem cum Episcopis Nivernensibus, extra quorum territorium hæc erant sita absque ullo dubio. Sic pergit comes Riant, op. cit. pag. 15 : « Et, « en effet, dès 1395, commencèrent, pour durer jus-  
« qu'à la fin du XVIII<sup>e</sup> siècle, les réclamations de ces  
« derniers (évêques d'Auxerre), réclamations dont les  
« évêques de Bethléem ne triomphèrent que par leur  
« importance personnelle, souvent aussi grande que  
« leur domaine épiscopal était exigü. »

Tempore magni Schismatis Occidentalis, invenimus duplicem seriem Episcoporum de Bethleem. Electi a Romanis Pontificibus residebant in dominiis Italiæ ;

electi autem a Pontificibus Avenionensibus residebant in hac ecclesia vulgo de Clamecy, in diœcesi semper Antissiodorensi (d'Auxerre).

Post schisma, series Italica extincta est. In Gallia autem, ecclesia seu potius capella B. M. de Bethlehem ruinosa reœdificata fuit anno 1445. Et fuit reapse Ecclesia cathedralis de Bethlehem, in qua fere nullus sedebat Episcopus electus de Bethlehem nisi ad sua jura vindicanda, seu ad proventus exiguos, sæpe sæpius per procuratorem percipiendos, reclamantibus semper Episcopis Antissiodorensibus, nunquam Nivernensibus, jurisdictionem in capellam cathedralem.

De statu miserabili hujus ecclesiæ cathedralis relationem habemus apud Lagénissière, op. cit., de « Charles de Bourbonnat », Episcopo Bethlemitano, qui recusabat solvere decimas Papales : « Mais Charles « de Bourbonnat, qui pouvait à juste titre appuyer sa « réclamation sur ce que plusieurs de ses prédéces- « seurs n'avaient point été sacrés, tout en exposant « qu'il n'avait du reste lui-même point encore reçu « ses bulles, adressa requête aux commissaires de « Sa Sainteté pour leur demander de n'être point « soumis à une telle contribution. Et, dans son désir « d'être déchargé d'une imposition aussi lourde pour « les modestes revenus de la Maison-Dieu du fau- « bourg de Clamecy, il alla jusqu'à prétendre dans « ses conclusions que l'Eglise de Bethléem n'était ni « cathédrale ni collégiale, qu'elle portait seulement le « titre d'évêché honoraire, et qu'au surplus, ce n'était « qu'un pauvre hôpital. » Op. cit. pag. 207.

Hinc evanescunt sæcula possessionis et visio capellæ cathedralis de Bethlehem in diœcesi Nivernensi.

Sæculo XVIII, invenimus rem spiritalem in deterimo statu, ita ut officia publica ibi per longum temporis spatium non fuerint celebrata. Sed et invenimus

plenam jurisdictionem Episcopi Antissiodorensis, non autem Nivernensis, in hanc totam urbem de Clamecy, ubi ecclesia, seu capella ruinosa de Bethlehem sita erat : « Louis le Bel, après la prise de possession de sa petite cathédrale, avait choisi pour vicaire-général Edme Souard, curé d'Armes, au diocèse d'Autun ; et il avait chargé les religieux récollets du faubourg de Beuvron de célébrer les offices dans son église, selon la coutume qui y était observée depuis un temps immémorial. Mais le chapitre de la collégiale de Clamecy, qui se voyait soutenu par M. de Caylus, son diocésain, se permit de prétendre que les évêques de Bethléem n'avaient jamais fait célébrer les cérémonies du culte dans la chapelle Notre-Dame ; et que ce n'était que depuis quelques années seulement qu'on faisait de telles entreprises contre les droits de la fabrique Saint-Martin, en établissant pour ainsi dire une seconde paroisse dans la ville. C'est pourquoi le chantre et les Chanoines de la collégiale portèrent plainte à l'évêque d'Auxerre, qui, à la date du 7 janvier 1729, rendit une ordonnance pour défendre de célébrer à l'avenir aucun office dans l'Eglise de Bethléem. (1) »

Ubi sunt pro RR. Episc. Nivernensi sex saecula, et ecclesia pie ac splendide restauranda ?

Sed et veniamus ad Chartam Geographicam dioceseon Galliarum in *Gallia Christiana* saeculo XVIII exarata. Ecclesia B. M. Bethlehemitana est in *diocesi Antissiodorensi*, ad septentrionalem partem longe distans a finibus diocesis Nivernensis. (2)

Fere ridiculosa est cura tumulorum Episcoporum de Bethlehem qui, ut patet ex *Gallia Christiana*, magna ex parte, saltem ultimis temporibus, homines spectabiles aut Confessarii ad Aulam Ducum Burgundiae et

(1) LAGÉNISSIÈRE, p. 271 ; (2) *Gallia christiana*, tom. XII.

Regum Francorum, neque vivebant neque sepeliebantur in hac capella cathedrali.

Tempore perturbationis Galliae, Episcopus de Bethleem Franciscus Camillus De Duranti, qui nunquam visitavit suam capellam cathedralem, exsul in Anglia, Romano Pontifici resignationem episcopatus de Bethleem recusavit.

Et haec ecclesia seu capella cathedralis de Bethleem, omnino exigua, quae nulla possidebat ornamenta aut paramenta episcopalia, « Cette petite église, ait Lagé-nissière, mesurait (intérieurement) dix huit mètres dans sa longueur et six mètres et quatre vingt dix centimètres dans sa largeur », vendita a Gubernio Gallicano pretio 1980 francorum, in domum civilem conversa est.

Hinc ad hucusque nunquam capella cathedralis fuit in dioecesi Nivernensi neque vero per unum quidem diem erit postea ut aedes sacra seu cathedralis.

Etenim in celebri Concordatu Pium PP. VII inter et Gubernium Gallicanum, in Bulla diei 29 Nov. 1801, incipiente : *Qui Christi Domini*, Summus Pontifex expresse declarat abolitionem Sedis **Bethleemitanæ**. Et quum anno 1817, in nova circumscriptione Dioeceseon Galliarum,<sup>1</sup> et in erectione Dioecesis Nivernensis,<sup>2</sup> nullum verbum fecerit Pius PP. VII de Sede Bethleemitana, remansit voluntate Romani Pontificis suppressa.

Et hinc patet, quod et uberius adhuc citationibus probare potuissem, Sedem Episcopalem de Bethleem *ne per unum quidem diem fuisse in dioecesi Nivernensi*.

Ergo petitio RR. Episcopi Nivernensis penitus rejicienda est.

Et eo magis quod est, ut infra in secunda parte demonstrabo, contra jus certum RR. DD. Josephi Abbet,

(1) Bulla *Commisssa divinitus* ; (2) Bulla *Paterna charitatis*.

Abbatis S. Mauritii et Episcopi de Bethleem electi, contra jus certum Capituli eligentis, contra jus certum Abbatiae S. Mauritii et nociva bono Religionis et paci publicae in Helvetia.

## II

1. Jus Abbatiae S. Mauritii Nullius Diocesis cum territorio separato, in Helvetia, ad Episcopatum de Bethleem, ita et jus Abbatis Episcopi electi, nituntur Institutione solemni et perpetua a Romano Pontifice facta.
2. Mutatio hujus Institutionis esset violatio contractus quasi bilateralis, salva in omnibus Sedis Apostolicæ auctoritate.
3. Mutatio hujus Institutionis esset nociva bono Religionis Catholicæ in Helvetia et perturbatio pacis religiosæ.

### 1.

#### **Jus Abbatiae S. Mauritii et Abbatis-Episcopi electi.**

Omnes sciunt in hoc loco S. Mauritii Agaunensis Legionem Thebæam pro Christo trucidatam fuisse. Sæculo medio IV, in eorum Martyrum honorem et ad eorum custodiendas reliquias ædificata fuit, in hac urbe romana, basilica a S. Theodoro, Episcopo Octodurensi. Fuit autem initium Abbatiae S. Mauritii. Anno autem 515, S. Sigismundus, Rex Burgundionum, ad catholicam Fidem conversus, institutionem primam innovavit foundatione Monasterii, quod omnia Europae monasteria hujus temporis superabat, et in cujus basilica *Laus perennis*, decantatio perpetua, celebrabatur. Et hæc fundatio celeberrima instituta fuit ab Episcopis Burgundiæ cum Rege congregatis, sub dependentia

immediata a Romano Pontifice. (1)

Haec Institutio quamvis imminuta injuria temporum, vivens permansit per saecula cum territorio separato, *nullius diæcesis*, Sanctae Sedi immediate subjecta. In Bullis Romanorum Pontificum medii aevi figuratur sub his verbis : « et beati Mauricii ecclesiam « quae juris et proprietatis beati Petri esse cognoscitur. (2). — « Cum monasterium beati Mauricii « ecclesiae nullo subiaceat mediante et beati Petri juris et proprietatis existat. (3) »

Gregorius PP. XVI sciens (ut ait in Litteris Apostolicis, *In Amplissimo*, diei 3 Julii 1840), quid Abbatia S. Mauritii fecerit et faciat pro Religione, pro cura animarum, pro restauratione cultus catholici in locis a Protestantibus occupatis, pro solemnibus celebrationibus officiorum divinarum in Ecclesia Abbatiali prope fines Protestantium, et pro scientiis in suo Gymnasio et Lycaeo, **in perpetuum** dignitati Abbatiali S. Mauritii univit Sedem Episcopalem de Bethleem ; et ita ut in posterum **electus Abbas eodem actu sit electus Episcopus de Bethleem.**

Hoc autem evidentissime patet ex textu Litterarum Apostolicarum *In Amplissimo* (quae Litterae typis demandatae cum aliis Litteris Apostolicis de privilegiis Episcopi et Capituli ut documenta annexa huic dissertationi adjunguntur). Hic autem excerpta scribam tantum verba quae spectant *(a)* jus Abbatiae nostrae ad Sedem Episcopalem de Bethleem in perpetuum possidendam, et *(b)* jus RR. DD. Josephi Abbet, canonice electi ad hanc sedem Episcopalem obtinendam :

*a)* Etenim quoad jus Abbatiae : « ...Quamobrem

(1) Actus foundationis, copia in Archivo Abbatiae S. Mauritii

(2) Alex. PP. III ; Eug. PP. III ; Celestinus PP. III.

(3) Celestinus PP. III.

« ejusdem Abbatiae et Canonicorum Collegii merito-  
« rum ratione habita, firmis tamen in ea Abbatia ma-  
« nentibus, ibique vigentibus omni statu, qualitate,  
« denominatione, motu proprio, certa scientia, matura  
« deliberatione, deque Apostolicae Nostrae potestatis  
« plenitudine, his litteris Abbatiae S. Mauritii, penes  
« Helvetios, in Valesia inferiore, Episcopalem titulum  
« de Bethlehem in partibus infidelium in perpetuum in  
« modum adsignamus, atque attribuimus atque illius  
« in tempore Abbatem Episcopum de Bethlehem in  
« Syria constituimus et declaramus, eumque nomine,  
« titulo et honore episcopali perpetuo decoramus, ac  
« volumus ut Abbas S. Mauritii et Episcopus de Beth-  
« leem appelletur, cum omnibus et singulis juribus,  
« privilegiis, etc. »

Hinc patet jus Abbatiae S. Mauritii ad Sedem Episcopalem de Bethlehem in perpetuum possidendam niti solemnem ac perpetua institutione Romani Pontificis.

Sed non minus patet ex his Litteris Apostolicis jus RR. DD. Josephi Abbat, Abbatis Episcopi electi ad hanc Sedem Bethlehemitanam occupandam.

Etenim in iisdem Litteris Apostolicis *In amplissimo* dicitur: « Atque id ita concessum volumus, ut sequuta  
« ejusdem Abbatis canonica electione, etiam Episcopus  
« de Bethlehem in partibus infidelium electus maneat,  
« utque electionis confirmationem una cum Ecclesiae  
« episcopalis provisione ab hac Apostolica Sede Litteris  
« Apostolicis sub annulo Piscatoris semper obtinere  
« debeat et teneatur. »

Hoc jus confirmavit Leo PP. XIII, anno 1889 in confirmatione RR. DD. Josephi PACCOLAT, secundi Episcopi hujus institutionis, nuper defuncti.

Hoc jus inconcussum crediderunt RR. Episcopi Helvetiae et in primis Reverendissimus Episcopus Sedunensis, qui magno plausu salutarunt RR. Dominum



Josephum ABBET Episcopum de Bethlehem electum; hoc jus inconcussum crediderunt Gubernium catholicum Valesianum et Gubernium catholicum Friburgense, et omnia diaria Catholicorum et etiam Protestantium, quæ magna lætitia salutarunt novum Episcopum de Bethlehem canonice electum.

Et speramus et credimus hoc jus summum robur habiturum in proxima Confirmatione Electi Episcopi de Bethlehem a SS. P. gloriosissime regnante Pio PP. X.

2.

**Mutatio hujus Institutionis esset violatio quasi-contractus, salva in omnibus Sedis Apostolicæ auctoritate.**

Etenim Episcopatus de Bethlehem institutione solemniter univus fuit in perpetuum Abbatiae Sancti Mauricii non solum ad peracta pro Ecclesia compensanda, quæque longe et longius enarrata inveniuntur in Litteris Apostolicis diei 3 Julii et 4 Augusti 1840, sed etiam et maxime ad novum excitandum zelum, ad nova peragenda sacrificia in servitium Catholicæ Religionis in Helvetia.

His promissis in perpetuum valituris, Abbatia S. Mauricii nihil sibi pepercit, nihil non insudavit ut et uberius voluntatem Romani Pontificis adimpleret.

Si agatur de cultu catholico restituendo in regione vicina, ad littora lacus Lemani et ad ripas dextras Rhodani, in omnibus manum suam adhibuit Abbatia S. Mauricii.

Genevæ, dum maxime saeviebat persecutio et in exilium injecerat RR. DD. Episcopum Gasparem Mermillod, RR. DD. Bagnoud, Abbas S. Mauricii, Episcopus de Bethlehem, quotannis sacramentum Confirmationis administrabat et canonicos suos in auxilium

cleri mittebat, atque Abbatia S. Mauritii erat quasi domus episcopalis cleri Genevensis (ut aiebat ipse RR. DD. Mermillod).

In pago Valdensi (canton de Vaud), dum Lausanae ecclesia erigebatur, canonicus quidam S. Mauritii Galliam peragravit ad eleemosynas colligendas, et summam 45000 francorum obtinuit. Et dum nondum erant vicarii parochiae, canonici S. Mauritii constanter veniebant, diebus dominicis et festivis, in auxilium parochi.

Viviaci (Vevey), eodem modo accurrebant canonici iidem in auxilium parochi.

Montreux, olim vicus parvi momenti, nunc urbs sumptuosa, habuit ut primos sacerdotes canonicos S. Mauritii, qui sacra faciebant in diversorio, ecclesia nondum aedificata.

In loco ubi Rhodanus influit lacum Lemantum adest vasta regio vi occupata etiam a Protestantibus saeculo XVI, et sese protendens a lacu Lemano et a ripis Rhodani ad summas Alpes.

Hanc regionem antiquitus et nunc evangelisavit Abbatia S. Mauritii. Ecclesiae hujus regionis erant beneficia unita Abbatiae S. Mauritii sub jurisdictione Episcopi Sedunensis, excepto vico vulgo de Gryon, ubi erat parochia sub jurisdictione spirituali Abbatiae.

Urbs caput est Aquilea (vulgo Aigle). Ibi Abbatia magnis expensis construxit ecclesiam et domum presbyteralem et scholas catholicas. Suis sumptibus enutrit canonicum parochum. Secundus canonicus Abbatiae residet in Alpibus de Leysin, ubi sunt sanatoria in tota Europa celeberrima. Sacra officia celebrat, aegrotos visitat et moribundis sacramenta administrat. In aestivis stationibus, feriantibus scholis, canonici deserviunt capellis recenter exstructis diversis in locis.

In parte orientali invenitur Badium (Bex). Ibi tum in urbe tum in balneis, Abbatia inceptit instaurationem cultus catholici. Sed quia, saeculo XVI, parochia neque quoad jurisdictionem temporalem neque quoad jurisdictionem spiritualem ad Abbatiam pertinebat, res incepta remissa fuit Episcopo Sedunensi, qui aedificavit ecclesiam et erexit scholas catholicas; canonici vero S. Mauritii praesto sunt ad adjuvandum parochum in ministerio sacro.

Sed ascendendo vallem Rhodani, invenimus, ad ripas dexteris, locum Laveti (Lavey). Ante occupationem a Protestantibus, saeculo XVI, superioritate armorum factam, haec parochia pertinebat ad Abbatiam S. Mauritii, ut patet ex multis documentis, quoad jurisdictionem temporalem et quoad jurisdictionem spiritualem.

Ibi adsunt fortissimae munitiones Confœderationis Helveticae. Hae munitiones militibus catholicis simul et protestantibus atque operariis plenae sunt a flumine Rhodano ad cacumina Alpium. Una Abbatia est persona grata et habet viam apertam ad auxilia Religionis deferenda. In vico praecipuo de Lavey, Abbatia erexit ecclesiam, suis sumptibus enutrit parochum et ministrat necessaria ad spiritualia totius loci.

Ad sanctum Mauritium, in territorio separato, aedificavimus Clinicam chirurgicam, ubi Duces militum, milites, operarii munitiorum, operarii magnae viae ferreae internationalis quae ducit in Italiam et in Galliam, et incolae totius regionis recipiuntur summa charitate et curantur exquisita arte medicorum catholicorum. Et omnes, catholici et protestantes, bona undequaque sparsa ab Abbatia S. Mauritii tanti faciunt ut, si Romam possent sua vota transmittere, protestarentur contra conatum Episcopi Nivernensis adversus dignitatem Episcopatus de Bethlehem, quam sciunt

omnes Abbatiae nostrae in perpetuum unitam fuisse.

Et nihil diximus de his quae Abbatia Episcopalis operata est et operatur in regione catholica, in Valesia, in pastorali officio, tum in parochiis unitis, sub jurisdictione Episcopi Sedunensis, tum in parochiis proprii territorii separati, nec memoravimus quid pro viatoribus operetur, qui gratuito in suo Xenodochio hospitantur, quid vero in suis orphanotrophiis, ubi recipiuntur et pie atque catholice educantur orphani utriusque sexus, tum Valesiae, tum aliarum regionum a Protestantibus occupatarum. Et schola practica puellarum est admirationi toti Helvetiae.

Sed brevitatis causâ non possumus praeterire quae fiant in Ecclesia Abbatiali et Episcopali de Bethlehem. Magnis sumptibus ecclesia restaurata et aucta est in ecclesiam cathedralem de Bethlehem. Splendor officiorum talis est festis solemnioribus ut etiam Protestantes accurrant. Non tantum capituli officia quotidie peraguntur, sed facta est schoia cantûs sacri ubi alumni collegii quacumque die Missam cantant, afferentes deinde scientiam cantus in diversas regiones Helvetiae.

Tum Litteris Apostolicis *In Amplissimo*, ubi Episcopatus de Bethlehem in perpetuum conceditur, tum Litteris apostolicis : *Ea est dignitas*, diei 5 Augusti 1840, ubi Praelatus domesticus, Abbas-Episcopus de Bethlehem perpetuo honoratur, ubi Canonici S. Mauritii specialia privilegia honoris recipiunt, nec non et facultatem nominandi canonicos honorarios, Romanus Pontifex, ut ex textu apertissime patet, intendit praemiare res pro catholica religione actas et incitare ad easdem ardentiori zelo peragendas. Inter ea officia uberioribus verbis Romanus Pontifex loquitur de officio educandae juventutis in duplici Collegio. Circa hanc rem, maximam curam attulerunt Abbates Episcopi de Bethlehem. Summis sumptibus nova aedi-

ficaverunt aedificia et magistros pios ac idoneos prae-  
pararunt, ita ut nunc ex tota Helvetia magnus sit ad  
nostrum Collegium et Lycaeam concursus. Alumni  
300 numerantur. Ab Episcopis Helveticis et a Guber-  
niis catholicis maxime ex hoc laudatur Abbatia, quae  
transmittit suos alumnos ad diversa Seminaria sacrae  
Theologiae, et ad Universitates Helvetiae, diversas  
scientias discituros. Ea autem viget in nostro Collegio  
pietas et scientia ut Provincia Capucinorum Helvetica,  
Provincia Capucinorum Lugdunensis, et Monasterium  
arduae charitatis S. Bernardi Montis Jovis, suos  
alumnos nostris Professoribus commiserint.

3.

**Mutatio statûs præsentis Episcopatûs de Bethleem  
in alteram dignitatem Episcopalem, ut insinuat  
Episcopus Nivernensis, esset perturbatio pacis tum  
civilis tum ecclesiasticæ in Helvetia.**

Confœderatio Helvetica majori ex parte Protestan-  
tium conflata maxime timet et detestatur novos titulos  
Episcopales. Sic dum pro bono Ecclesiæ, S. Sedes tri-  
buit RR. DD. Gaspari MERMILLOD, oratori in Europa  
conspicuo, titulum Episcopalem d'*Hébron* eumque Ad-  
ministratorem Apostolicum territorii Genevensis ins-  
tituit, Protestantes una voce in tota Helvetia protestati  
sunt et clarissimum Episcopum in exilium pepulerunt.

Dum agebatur de Ecclesia gubernanda in pago  
Ticinensi (Canton du Tessin), Sancta Sedes non potuit  
obtinere a Comitibus Confœderationis Helveticæ erectio-  
nem novæ Sedis Episcopalis, sed nomen Luganense  
datum fuit, absque jurisdictione, Episcopo Basiliensi  
(de Bâle), et gubernatio ecclesiæ fit ab Administratore  
Apostolico.

Etenim dicitur in Constitutione fœderali, art. 50 :  
« Il ne peut être érigé d'évêchés sur le territoire suisse  
« sans l'approbation de la Confédération. »

Episcopatus de Bethlehem unius Abbatiae nullius diœcesis cum territorio separato est multo anterior hac Constitutione anni 1874. Res accepta est a Confœderatione, consignata est in Geographia et Historia nationali.

Abbates Episcopi non solum suum admodum vastum territorium administrant et Abbatiam ubi more S. Augustini et discipulorum ejus in communitate cum canonicis vivunt, sed et positi in situ geographico speciali in mediis diœcesibus Sedunensi, Lausanensi et Genevensi in Helvetia, et Anneciensi in Sabaudia, præsto sunt in auxilium aliorum Episcoporum, ut fuit Genevæ tempore persecutionis et exilii RR. DD. Gasparis MERMILLOD. Sic et pariter tempore primæ ægrotudinis et debilitatis cerebri RR. DD. JARDINIER, Episcopi defuncti Sedunensis, et ultimis temporibus Friburgi, ægrotante RR. DD. JOS. DERUAZ, pro ordinationibus tum alumnorum Seminarii tum alumnorum Universitatis catholicæ.

Sed si quod constitutum fuit de Sede Episcopali de Bethlehem a Gregorii PP. XVI, et confirmatum a Leone PP. XIII, mutaretur, tota Helvetia attonita exclamaret tum in diariis Catholicorum, tum in diariis Protestantium. Et Abbatia nostra a Sancta Sede in opinione publica damnaretur pœna vere capitali.

Et hæc essent nihil coram petitione RR. Ep. Nivernensis, qui reclamat id quod, dum vivens erat, fuit semper *Extra diœcesim Nivernensem* ! — Et hæc essent nihil coram ecclesiuncula, capella in domum civilem abhinc 113 annos conversa, irreparabiliter truncata, et post improbabilem reparationem a Gubernio Gallicano persequente Ecclesiam Dei occupanda !

Hinc humiliter petimus et instanter precamur ut Sanctissimus Pater gloriose regnans Pius PP. X, cui inservimus ut Vicario Christi tota anima totisque viribus, videns et sciens jura nostra nobis faveat, et quod Prædecessores Romani Pontifices solemniter instituerunt in perpetuum et confirmarunt, firmum et inconcussum servet.



## Appui sympathique en Suisse



Pour l'appui si sympathique qui nous a été donné dans les négociations de l'affaire de l'Evêché de Bethléem, nous devons des remerciements particuliers à Monseigneur Deruaz, Evêque de Lausanne et Genève, à Monseigneur Stammler, Evêque de Bâle et Lugano, à Monseigneur Peri-Morosini, Evêque d'Arca, Administrateur Apostolique du Tessin, à Monseigneur Esseiva, Prévôt de St-Nicolas, et à Monseigneur Corragioni, d'Orelli, Aumônier de la Garde Suisse.

D'autre part, le Gouvernement du Valais a regardé l'Evêché de Bethléem comme une gloire nationale ; et pour demander au Saint Père qu'il daignât conserver entière l'institution faite par Grégoire XVI, en faveur de l'Abbaye de St-Maurice, il adressa à Son Eminence le Cardinal Secrétaire d'Etat de Sa Sainteté Pie X, le mémoire suivant.





LE CONSEIL D'ÉTAT DU CANTON DU  
VALAIS

A Son Eminence le Cardinal Secrétaire d'Etat  
de Sa Sainteté,  
au Vatican Rome

Eminence Illustrissime,

Le Conseil d'Etat de la République et Canton du Valais prend la respectueuse liberté de soumettre au bienveillant examen de Son Eminence le Cardinal Secrétaire d'Etat de Sa Sainteté la question que nous avons l'honneur d'exposer ci-après.

Monsieur le Révérend Chanoine Pierre Bourban, Vicaire Capitulaire de la Royale Abbaye de St-Maurice, avant son départ pour Rome, où il a dû se rendre pour y défendre les intérêts de l'illustre Maison qu'il représente, nous a entretenu de certaines craintes touchant l'Evêché de Bethléem.

Monsieur Bourban nous a fait part du fait que Monseigneur l'Evêque de Nevers, en France, se fondant sur des traditions ou des documents dont nous n'avons pas à apprécier la valeur, revendiquerait le titre d'Evêque de Bethléem *in partibus Infidelium*, conféré aux Abbés de St-Maurice par Bref pontifical du 3 juillet 1840. M. le Vicaire Capitulaire a exprimé le désir que le Gouvernement du Valais appuyât les démarches qu'il se proposait d'entreprendre auprès du Saint-Siège, en vue de faire reconnaître les droits de la Royale Abbaye et d'obtenir qu'il ne soit rien changé à l'état de fait dont le Supérieur de celle-ci est le bénéficiaire.

Le Conseil d'Etat a acquiescé à ce vœu avec d'autant plus d'empressement, que les services rendus au pays par l'antique Monastère de St-Maurice, tant dans le domaine du ministère pastoral que dans celui de

l'instruction et de l'éducation de la jeunesse, lui ont acquis des titres tout spéciaux à la reconnaissance des pouvoirs publics, et que les rapports entre l'autorité ecclésiastique et l'autorité civile sont empreints, chez nous, des sentiments d'une déférence aussi sincère que réciproque.

Il ne nous appartient pas de discuter le mérite des titres historiques qui peuvent être invoqués en la circonstance. Nous nous permettons simplement d'attirer l'attention de Votre Eminence sur quelques points qui nous paraissent et qui lui paraîtront dignes d'être pris en sérieuse considération.

Tout d'abord s'impose à l'attention le Bref du 3 juillet 1840, par lequel Sa Sainteté le Pape Grégoire XVI a conféré à perpétuité aux Abbés de St-Maurice le titre d'Evêque de Bethléem : *Episcopalem Titulum de Bethleem in partibus Infidelium perpetuum in modum adsignamus*, y est-il dit expressément. Les termes de l'Acte d'investiture sont si formels, qu'ils marquent une volonté réfléchie et bien arrêtée de la part du Souverain Pontife, volonté qui, nous semble-t-il, doit demeurer respectée, sauf motifs d'une exceptionnelle gravité.

A l'occasion de la mort de Monseigneur Paccolat et de la nomination de son successeur, les journaux et revues du pays ont rappelé l'histoire de l'Evêché de Bethléem, relatant les vicissitudes par lesquelles il a passé et relevant avec grande satisfaction l'insigne honneur fait à la Suisse, et au Valais en particulier, par le Saint-Siège, lorsqu'il lui a plu de faire revivre dans le célèbre et vénérable monastère de St-Maurice d'Agaune un titre et une dignité auxquels est attaché un nom si cher à tout cœur chrétien.

Aussi l'Abbaye de St-Maurice considérerait-elle, non sans raison, comme une sorte de déchéance, de *capitis diminutio*, le fait de se voir enlever un titre porté, nous pouvons le dire, avec tant de dignité depuis

trois quarts de siècle, et auquel elle tient tout particulièrement. Aucun autre titre épiscopal ne saurait, pour elle, être équivalent ni le remplacer.

Nous ne pouvons dissimuler à Votre Eminence une crainte que nous inspirerait le retrait du titre dont l'Abbaye de St-Maurice et le pays lui-même sont fiers. C'est que la presse hostile s'emparerait de cet incident pour le commenter d'une manière défavorable et l'exploiter contre l'autorité religieuse, ce que nous serions les premiers à déplorer.

Enfin il est une considération qui mérite d'être envisagée avec une attention toute spéciale. Votre Eminence n'ignore sans doute pas que la Constitution fédérale interdit l'érection de nouveaux évêchés en Suisse. Or, si l'Evêché de Bethléem, dont les Abbés de St-Maurice étaient jusqu'ici les titulaires, avec *juridiction quasi épiscopale*, comme s'exprime le Bref mentionné ci-dessus, venait à être supprimé pour être remplacé par un autre, rien ne nous garantit que l'autorité fédérale n'y verrait pas une création nouvelle d'évêché, c'est à dire une disposition contraire à la Constitution, et l'on se trouverait ainsi engagé dans un conflit dont l'issue serait aussi incertaine qu'il serait fâcheux au point de vue de la paix confessionnelle.

Nous osons espérer que Votre Eminence voudra bien apprécier avec bienveillance les quelques considérations que nous venons d'exposer et les soumettre à la suprême Autorité du Saint Père, dont nous acceptons d'avance la décision souveraine avec une entière et filiale soumission.

Nous saisissons cette occasion pour exprimer à Votre illustrissime Eminence l'expression de nos sentiments de profonde vénération, et pour l'assurer de l'inébranlable attachement des autorités et du peuple valaisans à la Chaire de Pierre.

*Le Chancelier d'Etat    Le Président du Conseil d'Etat*

Ch. Roten

R. de Werra

# DÉCISION PONTIFICALE

Romae 14 Junii 1909

SACRA CONGREGATIO  
CONSISTORIALIS

Reverendissime Domine,

Num. protoc. 431/107.

Mature perpensis, quae huic S. Congregationi Consistoriali sive ab hoc abbatiali Capitulo Agaunensi sive ab Episcopo Nivernensi sunt delata ac per me fideliter in audientia diei 11ae huius mensis relatis, Sanctissimus Dnus noster censuit nihil esse innovandum in collatione tituli episcopalis Bethlemitani, juxta ea quae in apostolicis Gregorii XVI litteris sunt constabilita; simulque mihi mandavit, ut deliberationem suam hisce litteris, perpetuum in huius abbatiae tabulario servandis, Tibi ceterisque concanonicis significarem. Quae quidem Sanctitati Suae jussa dum libentissime exsequor per tuas fratrumque tuorum preces S. Martyris Mauritii tutelae optatissimae me humiliter committo.

Amplitudinis Tuae

uti fr.

C. Card. De Lai Secrets.

Rmo D. Can. Petro Bourban,  
Vicario Capit. S. Mauritii de Agauno  
in Helvetia.

---

DOCUMENTS ANNEXES

LETTRES APOSTOLIQUES

---

# DOCUMENTS ANNEXES

## LETTRES APOSTOLIQUES

---

### BREF DU PAPE GRÉGOIRE XVI

ÉLÉVATION DES ABBÉS DE SAINT-MAURICE A LA

DIGNITÉ ÉPISCOPALE

(1840)

---

GREGORIUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. In amplissimo Apostolicæ Dignitatis, atque Auctoritatis gradu, nullis certe Nostris promeritis, sed ineffabili divinæ Providentiæ consilio collocati ac propterea de universo Dominico grege, quem Pastor Æternus Nobis pascendum commisit, vehementer solliciti, ea profecto omnia libenter agere solemus, quæ ad Majorem Dei gloriam promovendam, ac spiritualem animarum salutem procurandam pertinere posse videntur. Itaque sedulo, diligenterque inspicientes quid Ecclesiarum omnium decori, atque utilitati conveniat, Decessorum Nostrorum vestigiis inhærentes, amplis honoribus Abbatiales interdum Ecclesias decorare opportunum ducimus, ut divini cultus splendor magis eniteat, atque uberius inde Dominici gregis fructus existat. Equidem Nos minime latet Insignem Abbatialem et Regalem Ecclesiam Sancti Mauritii, penes Helvetios, inferiore in Valesia

sitam, cum proprio territorio originis vetustate territorii ejusdem amplitudine, populi frequentia, Cleri numero, et Canonicorum Collegio summopere præstare, ac plura regularia et secularia beneficia habere. Ipsius autem Abbas, qui Canonicorum Collegii princeps, ac Primicerii dignitate ornatus, *Infulæ, ac Pedi, seu Pastoralis honore insignitus, in pluribus illius Districtus parœciis jurisdictionem quasi Episcopalem exercet, atque huic Apostolicæ Sedi una cum Canonicorum Collegio, totaque abbatia immediate subjectus*, Sardinia Comitis titulo, et Magna Cruce Regii ac Militaris Ordinis Sanctorum Mauritii et Lazari semper decoratur. Canonicorum vero Collegium ex pluribus viris conflatum, quorum alii spiritualia parœciis præbent subsidia, alii divinas in Choro laudes concelebrant, alii communem agunt vitam ex regula a felicitis recordationis Pio VII Prædecessore Nostro approbata. Quod quidem Canonicorum Collegium eo in Districtu studiorum curam agens omni diligentia et industria prospicit, ut juvenus in binis præsertim Gymnasiis ad pietatem, omnemque virtutem mature fingatur, atque amœnioribus litteris, severioribusque disciplinis rite imbuatur. Accedit etiam, quod maxime interest, ut idem Canonicorum Collegium catholice religionis propagandæ studio vehementer incensum, nullis neque curis, neque laboribus, neque impendiis sibi parcendum ducat, quo illis in regionibus majora in dies ipsa religio incrementa suscipiat, atque homines e cæcis errorum fluctibus emersi ad catholicæ Ecclesiæ gremium redeant. Jam vero cum Nobis expositum fuerit rei catholicæ, ac spiritualis animarum salutis bono utile omnino esse, si illius Abbatia in tempore Abbas Episcopali titulo in partibus infidelium honestetur; Nos, quibus nihil potius esse potest, quam omni cura, vigilantia, contentione in Dei Opti-

mi Maximi gloriam amplificandam, ac sempiternam hominum salutem quibusque rebus procurandam incumbere, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum consilio, Abbatiam ipsam hujusmodi dignitate, atque honore decorandam, eique Episcopalem titulum de Bethleem in Syria in partibus infidelium perpetuo adsignandum existimavimus. Quamobrem ejusdem Abbatiae, et Canonorum Collegii meritorum ratione habita, firmis tamen semper in ea Abbatia manentibus, ibique vigentibus omni statu, qualitate, denominatione, *Motu proprio, certa scientia, matura deliberatione, deque Apostolicæ Nostræ Potestatis plenitudine, hisce Litteris Abbatiae Sancti Mauritii, penes Helveticos, in Valesia inferiore, Episcopalem Titulum de Bethleem in partibus Infidelium perpetuum in modum adsignamus, atque attribuimus, atque illius in tempore Abbatem Episcopum de Bethleem in Syria constituimus et declaramus, eumque nomine, titulo, et honore Episcopali perpetuo decoramus, ac volumus ut Abbas Sancti Mauritii et Episcopus de Bethleem appelletur, cum omnibus et singulis juribus, privilegiis, honoribus, insignibus, prærogativis, quibus Episcopi in partibus Infidelium utuntur, fruuntur, vel uti ac frui possunt, et poterunt.* Atque id ita concessum volumus, ut sequuta ejusdem Abbatis canonica electione, etiam Episcopus de Bethleem in partibus Infidelium electus maneat, utque electionis confirmationem una cum Ecclesiae Episcopalis provisione ab hac Apostolica Sede Litteris Apostolicis sub Annulo Piscatoris semper obtinere debeat, et teneatur. Hæc concedimus, atque indulgemus, statuimus et mandamus decernentes has præsentis Litteras firmas, validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac



illis in omnibus, et per omnia plenissime suffragari : sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, et S. R. E. Cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstan (*sic*) quoties opus fuerit, felicis recordationis Benedicti XIV Predecessoris Nostri super Divisione Materiarum, aliisque Apostolicis atque in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis, editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, necnon ejusdem Abbatiae, et Canonico Collegii etiam juramento, confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus. et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, aliisque omnibus etiam speciali, et individua mentione, et derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die III Julii M. D. CCC XL., Pontificatus Nostri Anno Decimo.

A Card. Lambruschini.

L. S.

Concordat cum originali in archivo Abbatiae S<sup>ti</sup> Maurittii asservato.

Canonicus P. BOURBAN,  
Vicarius capitularis.

# BREF DU PAPE GREGOIRE XVI

ACCORDANT AUX ABBÉS DE SAINT-MAURICE LE TITRE DE «PRÉLAT  
DOMESTIQUE » ET CONCÉDANT AUX MEMBRES DU CHAPITRE  
LA DIGNITÉ DE CHANOINE DE CATHÉDRALE, AVEC LE  
PRIVILÈGE DE PORTER LA « CAPPÀ MAGNA »

(1840 )

---

GREGORIUS PP. XVI.

Ad perpetuam rei memoriam. Ea est dignitas ac splendor Canonicorum Collegii Regiæ Abbatiae Sancti Mauricii, in Valesia inferiore, apud Helvetios, tanto hic amplissimus Ordo erga catholicam religionem studio, tanto erga Apostolicam Sedem, *cui immediate subjectus*, flagrat obsequio, ut Nos ex arcano divinæ Providentiæ consilio in Petri cathedra collocati, alacri libentique animo illum peculiaris beneficentiæ Nostræ testimoniis complecti existimaverimus. Quapropter per similes Nostras Apostolicas Litteras die tertia superioris mensis editas, principem illius Dignitatem, quæ Primicerii nomine fruitur, atque Abbas extat, aliisque honorificentissimis insignibus decoratur, episcopali titulo de Bethlehem in partibus infidelium perpetuo ornandam esse decrevimus, iisque privilegiis ac juribus, quæ hujusmodi Episcoporum propria sunt, augendam esse mandavimus. Num vero quum ejusdem Collegii canonicis de christiana et civili republica optime meritis propensam Nostram voluntatem magis magisque confirmare, et majori præmio eorum curas in recta juventutis institutione, in multiformis

gratiæ Dei dispensatione positas rependere exoptemus, eorum preces benigne exceperimus, dum a Nodis postularunt, ut ipsum Episcopum Abbatem, Antistitis, seu Prælati Nostri domestici titulo decorare, eorumque numerum duodecim canonicis honorariis augere velimus, quorum sex arbitrio Nostro, ceteri vero, præter primos sex, ab ipso Episcopo Abbate nominandos, ab eodem canonicorum Collegio, cunctis suffragantibus, erunt adlegendi, et qui omnes in choro consideant, et canonicorum titularium participantium vestes deferant, utque demum utrisque non solum sacræ trabæ, seu *Cappeæ magnæ usum, sed et honores ac privilegia canonicorum Cathedralium conferantur*. In quamquidem sententiam eo facilius devenimus, Romanorum Pontificum Stephani III, Adriani I, Leonis III, Eugenii II, Honorii II, Leonis IX, Eugenii III, Alexandri III, Clementis III, Cœlestini III, Alexandri IV, et Gregorii X, Prædecessorum Nostrorum, exempla ob oculos habentes, qui ex octavo Ecclesiæ sæculo tam inclytum canonicorum Collegium peculiari indulgentia complexi sunt, ac plane rati, fore ut ecclesiastici viri in illud cooptati ampliora beneficia adepti magis conentur internis virtutibus enitere, et ad sacra quæque ministeria accurate implenda benignitatis etiam Apostolicæ incitamento impellantur. Ipsi enim, qui se probabiles jam Deo exhibent operarios inconfusibiles recte tractantes verbum veritatis, certam Nobis injiciunt spem, decus, quod sibi ex hujusmodi Nostris privilegiorum additamentis accedit, sustinendum tuendumque curaturos tum gravitate et morum innocentia, tum non vulgari sacrarum litterarum scientia, disciplinarum et artium, quibus pollent, et sine illa non modo mirantur homines, sed etiam despiciere plerumque solent. Novam igitur beneficentiæ Nostræ significationem huic amplissimo canonicorum Ordini

regiæ Abbatiaë sancti Mauriti, in Valesia inferiore, apud Helvetios, exhibere volentes, omnesque et singulos, quibus hæ Litteræ favent, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis quovismodo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, harum serie absolventes, ac absolutos fore consentientes, Auctoritate Nostra Apostolica hisce Litteris concedimus et indulgemus, *ut Episcopus Abbas commemoratæ Abbatiaë Sancti Mauriti. et Canoniorum Collegii Primicerius perpetuo Antistes etiam, seu Prælatas Noster domesticus dicatur, et habeatur, atque in aliorum domesticorum Antistitum cætum et numerum cooptetur, eorumque privilegiis, juribus, honoribus, indultis, quibus ipsi perfruuntur, vel uti, frui possunt ac poterunt libere, liciteque uti et perfrui possit.*

Ad hæc eidem canonicorum collegio facultatem æque perpetuum in modum tribuimus et elargimus duodecim adsciscendi canonicos honorarios, ita tamen ut sex eorum nominatio a Nobis per alias Nostras similes Apostolicas Litteras constituatur, reliquorum vero sex prima vice ab Episcopo Abbate tantummodo, deinde per ejusdem Episcopi Abbatis et canonicorum collegii suffragia omnino fiat, ipsique Episcopo Abbati, vel ejus Vicario generali jus sit eorum quemlibet canonica institutione donare. Hisce autem canonicis honorariis ita adlectis renunciatis liceat inter aliorum canonicorum subsellia considerare, atque in choro, ceterisque ecclesiasticis cæremoniis et fonctionibus uti lineo manicato amiculo, vulgo *Rochetto*, et brevi palliolo seu *mozzetta* lanea exilis texturæ, coloris purpurei, tempore hiemali, serica vero æstivo tempore, quemadmodum canonici titulares participantes utuntur. *Utrisque demum, scilicet Canonicis titularibus participantibus et honorariis, eadem auctoritate Nos-*

*tra tribuimus et impertimur ut deinceps in choro, in sacris supplicationibus, et in aliis quibuslibet Ecclesiæ functionibus, sacram Trabeam, seu Cappam magnam cum mozzetta concolorem albæ mustellæ pelibus hiemali tempore, æstivo autem tela serica subsutam, gestare libere et licite possint, et valeant, ac præterea omnibus ubique perfrui honoribus et privilegiis, quæ canonicorum Collegiis cathedralium Ecclesiarum, dummodo fuerint rite instituta, ex sacrorum canonum præscripto concessa sunt. Hæc concedimus, atque indulgemus, præcipimus atque mandamus, decernentes has præsentis Litteras semper firmas, validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et eorum causa, quæ expressa sunt, hoc, futurisque temporibus plenissime suffragari, sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari ; non obstantibus felicis recordationis Benedicti XIV, Prædecessoris Nostri, super divisione materiarum, aliisque apostolicis ac in universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis, editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus et ordinationibus, nec non commemorati Canonico Collegii regię abbatie Sancti Mauriti, aliarumque Cathedralium Ecclesiarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, quibus omnibus et singulis illorum tenores præsentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo*

robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi, sub Annulo Piscatoris, die IV Augusti M. D. CCC XL, Pontificatus Nostri anno Decimo.

A Card. Lambruschini.

L. S.

Concordat cum originali in archivo Abbatiae S<sup>ti</sup> Mauricii asservato.

Canonicus P. Bourban,  
Vicarius capitularis.





